

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 7 (1893)

Artikel: Syllabus Pii Pontificis Noni in universa re philosophica iuxta mentem S. Thomae Aquinatis recentiumque philosophorum
Autor: Angelis-Stella, Guilelmus de
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761699>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 06.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

SYLLABUS PII PONTIFICIS NONI IN UNIVERSA RE
PHILOSOPHICA IUXTA MENTEM S. THOMAE
AQUINATIS RECENTIUMQUE PHILOSOPHORUM
per Prof. Guilelmum De Angelis-Stella Neapolitanum
evolutus.



Revelatio est subiecta continuo progressui, qui humanae
rationis progressionì respondeat.

Epist. encycl. Qui pluribus. 1846.

Alloc. Maxima quidem. 9. Junii 1862.

Explanatis systematibus de vero progressivo, praestat has doctrinas quoad religionem recolere. Si enim progressistae sibi met velint esse concordēs, ne Dei quidem existentiam debent admittere. Nam cum Dei notio sit absoluta atque immutabilis, et mens nostra tantum possideat vera relativa, certe haud potest notionem Dei acquirere; quare Protagoras atheismo fuit multatus propter illud aphorisma: *Περὶ μὲν θεῶν, οὐκ ἔχω εἰδέναι ὥς εἰσιν, ὥς οὐκ εἰσιν* — de diis neque ut sint neque ut non sint habeo dicere. Recentiores autem progressistae ab atheismo abhorrentes, religionem quidem admittunt, sed quae humano progressui respondeat. Quare Lessing, postquam progressum cognoverit a mosaismo ad christianismum, proclamavit tandem adventum cujusdam evangelii aeterni. Kantius docuit: Religionēs omnes sunt evolutiones vitae religiosae hominū per elementa adscititia, quae perfecte complentur, quando spiritus omnimodo libertate se evolvit, nempe in Christianismo. Ipse quidem Ecclesiam admittit, uti rempublicam moralem, ad bonum morale curandum institutam. At ipse in errorem incidit, quando defendit, cum humanum genus progrediatur, Ecclesiam deficere et solum quamdam religionem pure naturalem manere, in qua erit manifestatio regni Dei. Herder quidem idipsum vindicavit; Schelling, iuxta sua principia de Identitate absoluta, contendit, antiquum mundum sub aspectu religioso esse, sicuti naturam relate ad spiritum, nempe manifestationem Infiniti et finiti; novum vero mundum esse e diametro oppositum, quia per Christianismum finitum reducitur ad infinitum, unde fuit missio Divini Spiritus reducentis finitum in Infiniti sinum. Hegel quidem eandem vindicavit sententiam: Namque (Leçons sur la philosophie religieuse) docuit, religionis philosophiam tripliciter dividi. In primis enim est Idea religionis, dein religio determinata, postea religio absoluta et vera. Considerat dein omnes Religionis formas usque ad christianismum, tamquam momenta conscientiae religiosae, quae se per gradus evolvat. Primum

exorta fuit magiae religio, uti Feticismus, religio Mongolorum, Sinensium, Buddhismus, Lamaismus; dein processit phantasiae religio, uti Judarum cultus, Bramanismus; tertio religio lucis, uti Parsismus; quarto symboli religio, uti Aegyptiorum ritus. His religionis momentis praeactis conscientia religionem spiritus invenit; quo enim tempore cultus factus fuit sublimis, veluti Judaismus, religio pulchri, uti illa Graecorum, mentis religio, uti Romanorum. Denique conscientia ad religionem absolutam fuit progressa, ad Christianismum. Omissis vero ceteris Galliae progressistis, Turgot, Condorcet Deismum penitus renovarunt. Henricus e Saint-Simon docuit: Post longam barbariem monotheismus Hebraeorum est exortus, qui in Christianismo perfectionem fuerit assecutus; sed ne polytheismi historiam omitteret, Socratem inter Moysen atque Christum cognovit, qui polytheismum falsitate argueret. Romanorum victorias voluit esse Christianismi progressum; Lutheri tandem reformatio iter paravit ad novum Christianismum in posterum repetendum. Accesserunt ad hanc sententiam Rodrigues, Enfantin, Bayard, Blanqué, Carrel, Buchez. Victor autem Cousin Schellingii vestigia persequens: Religiones, inquit, vario modo rationis elementa ostendunt, Christianismus autem finem evolutionum rationis; ideoque perfectior religio dicitur. Christianismus enim in se complectitur cultum orientis atque occidentis, ac quidquid boni ab orientis Theismo atque ab heroismo Graeciae Romaeque manaverit. Hoc idem Lermnier, suas vindicans doctrinas, asseruit: Philosophiam, inquit, sua iura vindicare est necesse; Socrates enim ac Plato, licet ethnici, Christianismum praenuntiarunt; ideoque philosophia nedum consistere, progredi ulterius debet. In hanc sententiam Ab. Lamennais, P. Leroux, Jouffroy veniunt. His historiae argumentis praestitutis, ad argumenta contraria transeamus oportet. Si enim religio in veritate nititur, et veritas una atque immutabilis est, religio quidem est una atque immutabilis; ideoque religiones oppositae, sive eodem tempore sive diverso, falsum vindicare, nunquam veritatem possunt. Chrysostomus ad rem: *Πολλὰ μὲν τῆς εὐσεβείας ὁδοί· ἡ καὶ δὲ τῆς ἀληθείας μία*. Quo tamen horum systematum error magis pateat, nonnulla de scientia deque historia dicimus. Praestat enim admonere omnes progressistas inficiari aliquam religionem aliqua revelatione primaeva exornari. Namque ii cum fateantur omnia esse Absoluti manifestationem, duplicem ordinem naturalem et praeternaturalem haud admittunt, ideoque coguntur omnes religiones, uti naturales Absoluti modos, agnoscere. Laurent enim, *Etudes sur l'histoire de l'humanité*: Christianismi, inquit, superba est arrogantia, exordium a Deo

immediate ripetere; nam sola revelatio est agnoscenda, quae iuxta legem continui progressus in humanitate fiat. Hoc vero historiae religionis repugnat. Deus enim protoparentibus, externae revelationis gratia, religionem supernaturalem tradidit. Biblia ad rem testantur, Deum revelasse primae societati doctrinarum systema, sive ad rationem spectantium, sive illam excedentium; hanc vero religionem Moysem usque fuisse asservatam per Patriarchas, viros prae ceteris Dei muneribus refertos; Moysem autem, iuxta Dei oracula, Hebraeorum theocratiam condidisse, suamque vindicasse missionem, operum supernaturalium ergo; Jesum Christum vero, Dei Verbum, hominem factum, primaevam revelationem evolvisse, novamque addidisse, atque religionem a Moyse indictam, perfectam humano generi accommodasse. Biblia quidem testantur ceteras superstitiones exortas ex oblivione veteris cultus, post diluvium inter Noae posteros comprobata. Qui plura cupiat, consulat apologias doctorum usque ad nostram aetatem, ac nuper in unum redactas ab Ab. Migne, *Demonstrations Évangéliques*. Nobis autem est ratum recentiores Progressistas Bibliorum auctoritatem pessumdare, omnemque *θεοπνευστίαν* inter mythos collocare; tamen nos exploratum habentes quidquid biblici catholici pro re nostra fuerint confessi, comprobamus religionem a mundi exordio fuisse hominibus revelatam, omnesque alias primae immutabilis religionis corruptionem esse. Hac fidei professione peracta, ad rationis argumenta progrediamur oportet. Origenes enim, Lib. IV contra Celsum 79, aiebat: *Χρὴ μίαν θεοπνευστίαν ἀνθρώποις πᾶσι δοθῆναι*. Et Drey in unum redigens Apologetarum argumenta docebat: Nessun essere finito, se non sia mosso dagli influssi di un altro essere della natura medesima o somigliante. Questa legge, secondo la quale tutti gli esseri si sviluppano, si sperimenta altresì ogni giorno nello sviluppo di ciascun uomo. E veramente l'uomo educa l'altro uomo; e la ragione non ancora svolta si svolge per una ragione, innanzi svolta. Se da questa legge universale e costante rimontiamo al primo uomo, e la applichiamo al suo sviluppo religioso, la Rivelazione, che la Bibbia ci porge come un fatto, ci si paleserà con l'impronta della necessità. Il primo uomo in effetto non poteva conseguire la conoscenza di Dio, nè svolgere in generale le sue potenze intellettive, senza l'azione benevola di un essere superiore, di Dio. . . . Il primo uomo, non avendo dappresso a sè altro uomo, aveva bisogno dell'aiuto di un essere soprumano. Or chi mai questi potea essere, se non Colui, il quale comechè non sia dalla terra, distende l'azione sua su tutta la terra? Essendo Dio solo questo essere, chiaro è che lo svolgimento

religioso dell'uomo sin dalla origine sia opera di Dio e frutto di sua rivelazione.

Sed haud est opus, pro revelationis necessitate, ut ad primam humani generis aetatem redeamus; homo etiam nunc temporis, seposita revelatione, perfecte Deo cultum praestare, omniaque religionis officia complere nequiret. Ad haec enim persolvenda opus esset sublimi ingenio, qui diuturno seduloque studio, ac vivendi ratione placida et tranquilla veram vestigaret religionem; haec omnia in paucissimis, longo post tempore, cumque errorum admixtione reperiuntur; ergo paucissimi hanc sibi, rebus antea praestitutis, cognitionem compararent. Sed hi quidem impares edocendis hominibus essent. Namque historia nobis ostendit philosophos aliquorum religionis dogmatum imperitos inter se decertare, atque recentiores sapientes in materialismum, idealismum, mysticismum, pantheismum esse dilapsos. Denique qua vigerent auctoritate ad suas firmandas doctrinas? Historia enim vindicat populos nulla affectos reverentia in philosophos; uti Varro penes Augustinum scripsit: In religione esse permulta, quae non iuvat vulgum agnoscere; ergo concludimus sive per historiam sive per scientiam revelationem fuisse homini necessariam, atque a Deo in re concessam. Sed paulisper demus religiones omnes progressive evolvi, sequitur, si verum suamet natura mutari nequit, ac religio coniungit hominem Deo, religionem mutari non posse, officia in Deum esse immutabilia; eo magis quod, si humanitas substantialiter mutari nequit, ne religio quidem, humano generi accommodata, potest. At cum error natura sit multiplex, multaeque in mundo religiones adsint, permultae continuam fluctuationem, proinde falsitatem vindicent oportet. Licet ergo demus permultas fuisse religiones inter se certantes, quae passim sint evolutae, sunt tamen falsae ac minime humano generi convenientes. His de variis religionibus falsis praestitutis, pauca sunt dicenda de ordine, quo Progressistae religionem sibi comparasse adserunt. Haud enim fieri poterat, ut homines a feticismo ad polytheismum transirent, atque, omnibus polytheismi vicibus peragratis ad monotheismum pervenirent. Feticismus sane, vel naturae religio, coalescere nequit, nisi penes populum vitam silvestrem rudemque agentem; infans vero suum intellectum evolvere haud potest, pubertatis aetatem usque, nisi ab alio edoceatur; populus ergo silvestris derelinquere feticismum non poterat, nisi ab alio cultiori populo esset adiutus. Constant, opere *De la Religion considérée dans sa source, ses formes, et ses développements*, ac prae ceteris Niebuhr: Un'osservazione non fatta da questi filosofi è, che non vi ha esempio di un sol popolo veramente selvaggio, il quale

sia passato spontaneamente allo stato di civiltà; e che dovunque questa si è voluta imporre da una potenza straniera, n' è nata la morte e la distruzione fisica dell'uomo selvaggio, il quale l'ha ricevuta. Noi citeremo a tal proposito quel che avvenne negli Stati uniti di America, nelle missioni della Nuova California ed in quella del Capo. Ad hoc historia sive sacra sive profana narrat feticismum haud fuisse primaevum hominis statum. Biblia enim, ab ipso Herder laudibus ornata, testantur monotheismum fuisse primam religionem, quae usque ad diluvium mansit, et postea revelationem passim per idololatriam coeptam esse corrumpi; quamvis monotheismus in variis Deo acceptis familiis fuerit semper vera religio, donec regimen Hebraeorum civile ac religiosum effecerit. Profana historia vero, ducibus Creutzer, de Crigues, Duperron, Seneca, Tacito, narrationem Biblicorum vindicat. Monumenta vetustiora vestigia Unitatis et Trinitatis Dei servant. Vestigia Unitatis vindicat Brahma Indarum, Thian Sinensium, Tina Etruscorum, Alfader Scandinaviae incolarum, Teut vel Tuiston Germanorum. Trinitatis vestigia autem habentur in Trimourti Indarum, in formula Lao-Tseu Sinensis. Quare Sinensium dogma: Il Tao ha prodotto; uno ha generato due; due ha dato origine a tre; tre ha prodotto tutta le cose. Idem invenitur in tribus Aegyptiorum verbis: Ammon, Phta, Osiris, in Ormuzd, Ahriman, Mithra Persarum, in Odin, Thor Balder apud Scandinaviae incolae, in Anahi e Tritopatore Trinitatis cabiricae. Sacri autem Libri describunt horum populorum primaevum hominum statum, uti Saturni saeculum, humani generis depravationem, ac denique Messiae expectationem. Victor Cousin ad rem inquit: Tutte le antiche Tradizioni fanno capo ad un'età, nella quale l'uomo, nel momento che esce dalle mani di Dio, riceve da Lui immediatamente tutti i lumi e tutti i veri, sebbene intenebrato e magagnato dal tempo e dalla scienza incompiuta degli nomini. E dessa l'età dell'oro, civè l'Eden, che la poesia e la religione collocano a capo della storia. His positis, facile perfici potest conditores veterum nationum, licet silvestres rudesque, dictitasse se gubernari a diis, omnemque religionem a quodam Numine provenire, quod homini modum, formam, regulam indixit; sapientes antiquos Numina excoluisse, supplices pro re sua advocasse, Tullius sane orationem fuit exorsus: Quod Deo optimo maximo, ceterisque diis immortalibus sum deprecatus. Sed praestat ex Apologetis desumpta pauca in lucem vindicare.

Laforet, De l'état primitif de l'homme, scribit: Gli annali religiosi dei popoli ci mostrano, che presso nessuna nazione le conoscenze religiose furono quale portato spontaneo della ragione

umana, e che a chiunque si fa a meditare la religione dei popoli pagani, vi scorge un carattere affatto contrario a quello, che contraddistingue lo sviluppo delle scienze e delle arti; perocchè ogni cosa si avvanza, progredisce; laddove le idee religiose si corrompono, si svisano, e vanno a riuscire infine in un ammasso di strani errori. Adunque se la religione fosse nata dalle investigazioni dello spirito, non sarebbe ella andata di conserva con le altre conoscenze? Adde, progressistae fatentur feticismum non fuisse universalem, sed penes nonnullos populos, uti in quibusdam pagis Australiae, Tasmaniae, Polynesiæ, Africae, Asiae, Americae; proinde dici nequit universum humanum genus feticismum coluisse. Denique variae religiones, quas progressistae volunt sibimet vicem dedisse, fuerunt contemporaneae et coevae. Contra in populo Israelitico ac permultis nationibus monotheismus colebatur, alibi vero idololatria dominabatur in mundo; uti nunc temporis, licet Christianismus ubique gentium observetur, tamen Brahmanismus sexaginta decies centena millia cultorum adnumerat; Buddhismus sexaginta centies centena millia; religiones Confucii et Theophrasti quadraginta decies centena millia; Sabaeismus et Feticismus septem decies centena millia; ergo variae religiones non sunt dicendae hominum progressus, sed divinae revelationis hominibus divinitus etargitae effectus.

Christianismus non est hebraici monotheismi, neque graecae philosophiae, praesertim socraticae, effectus. Sane, Christianismo exorto, Socratis philosophia, se removens a Platone atque Stagira, in Academicorum semiscepticismum, Stoicorum pantheismum, Epicureorum sensismum erat dilapsa, adeo ut fidei apologetae haec vitia scientiae antiquae damnarent, ac prae ceteris Tertullianus: Quid ergo Athenis et Hierosolymis? Quid Academiae et Ecclesiae? Quid haereticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui et ipse crediderat Dominum in simplicitate cordis esse quaerendum. Videant qui Christianismum vindicaverint stoicum, platonicum, dialecticum; ergo Christianismus e graeca philosophia haud est genitus. Lubet tamen progressistis Christianismum ad Platonis theodiceam, atque ad Stoicorum moralem reducere, adeo ut Laurent vindicaverit, quoad dogma, Pythagoram et Platonem Patrum numero adscribere, quoad moralem, Cynicos ac Stoicos Christi praecursores fore dicendos. Haec quaestio a reformationis aevo suborta, acriter a Guentherianis est in integrum renovata. Contra dicimus, Patres, quamvis Platonem laudibus extulerint propter vera detecta, tamen vituperiis quoque mulctavisse plurimorum errorum causa, uti de animarum praeeexistentia, de metempsychosi, de materiae aeterni-

tate, de idearum doctrina; ergo Plato nequit in dogmatum adsertoribus adscribi. Ad hoc, Patres vindicant platonismum originem dedisse tot haeresibus, quibus Ecclesia primis saeculis fuerit vexata; veluti Irenaeus, Nazianzenus, Hieronymus et Tertullianus, qui cuncti dolebant Platonem permultis haereticis argumenta prae-buisse. De S. Augustino autem, qui fuit habitus Platonis sectator, oportet nonnulla dicere. S. Doctor enim: Isti philosophi, inquit, ceteros nobilitate atque auctoritate vicerunt, non ob aliud, nisi quia longo quidem intervallo, sed reliquis erant propinquiore veritati; et alibi, Libro 1^o retractationum, scribit: Ipsa quoque quibus Platonem vel Platonicos seu Academicos philosophos tantum extuli, quantum impios homines non oportuit, non immerito mihi displicuerunt, praesertim quum contra errores magnos defendenda est christiana religio. Hinc merito Remusat concludebat, *Revue des deux Mondes*: Se il Christianesimo ha una parte affatto spirituale, la quale ha potuto essere prodotta da Platone, i dogmi speciali hanno una significazione positiva e letterale, che nessuna filosofia può con le sue forza conseguire. Nè la Trinità di Platone nè quella degli Alessandrini, rassomigliano propriamente alla Trinità cristiana, a questa Trinità sostanziale, la quale è obbietto della Fede. . . Lo stesso S. Agostino levossi un bel giorno contro l'adorazione della sapienza umana, confessando di averla soverchiamente piaggiata. Igitur ex platonismo, sententia quidem S. Augustini, Christianismus exoriri nequibat. Sed quid de Stoicismo? Moralis enim in dogmate innititur; atqui Stoicorum dogmata a Christi religione maxime differunt; ergo moralis admodum distat. Stoici quidem docebant, Deum unum idemque esse cum rerum natura, cuius partes sunt creata omnia. Et Seneca aiebat: Quid aliud est natura, quam Deus et divina ratio, toto mundo eiusque partibus inserta? Quare penes Stoicos providentia ignis instar se habet, a quo omnia fataliter in mundum proveniunt, fatali nexu inter se coniunguntur, hominesque esse liberos credunt, si necessario huic fatali nexui pareant. Cicero quidem, de Paradoxis, aiebat: Quid est libertas? Potestas vivendi ut velis. Igitur qui vivit uti vult, nisi qui recta sequitur? qui gaudet officio? cui vivendi via considerata atque provisa est? Hinc non admittunt individuum animarum existentiam post mortem; dicunt enim absorptum iri ab illa natura universalis. Sed cum mundus iterum renovetur, sic et animae renovantur ad vitam, unde illud Senecae: Mors intermittit vitam, non eripit. His de Stoicorum praeceptis dictis, nonnulla de morali addimus. Sed hac in re dissentimus a doctrinis Zenonis, Chrysippi, Cleanthis, Senecae, Epicteti, Marci Aurelii, quia de Stoicismo disserimus

ante et post Christianismum. Licebat enim primis suicidium, mendacium, adulterium, sodomia, nuptiae Oedipi et Jocostae instar, mulierum communio, humanarum carnum contritio, ebrietas, sepulchrorum contemptus, aliaque quae pudorem laedunt. Neque Cousin dicat Stoicos tritum fecisse illud aphorisma: Vivendum est iuxta rationis dictamina; sed si ratio non distinguitur a natura, idem est iuxta rationem vivere ac iuxta naturam, adeo ut, Cynicorum more, bruta quidem veluti exemplum sunt ducenda. Verum Henne, Dictionnaire des sciences philosophiques, dictis nonnullis praeceptis inverecundi Chrysippi, subdebat: Considerate gli animali, dice l'arrischiato logico, e da costoro apprenderete, che questi precetti non contrastano alla morale o sia allo natura. His positis, Christi ethica ita pura, nobilis atque sancta num poterat exoriri ex stoicismo veteri tam inverecundo et turpi? Sed res aliter se habet quoad Stoicos post Christianismum, uti fuit Seneca, Epictetus, Antoninus. Hi enim, quamvis multum ad Christi moralem accedant, multum quidem ex Evangelio desumpserunt, docente Paulo: Evangelium in universo mundo crescebat et fructificabat. Quae videri possunt consulendo Lipsium, Schmidium, Siberum, Apinum, Buddeum, Bucherium, et inter recentiores Greppium, Trois memoires pour servir a l'histoire ecclesiastique. Fatendum est enim Senecam Paulum adivisse, atque invicem esse collocutos, uti tradunt Hieronymus, Augustinus, Cyprianus, Tillemont, Natalis Alexander, Lipsius: quae omnia consuli possunt apud Champagny in opere, I Cesari. Quod ad Epictetum attinet, qui in suo Manuali christianismum redolet, procul dubio est vitam in Neronis aula gessisse, qua permulti erant Christiani, atque ab iis suas sententias desumere poterat. Apostolus enim, ad Phil. IV, aiebat: Salutant vos, qui mecum sunt fratres; salutant vos omnes sancti, maxime autem, qui de Caesaris domo sunt. Et licet demus Epaphroditum, qui legitur in Epist. ad Phil. non fuisse herum Epicteti, tamen est ratum Epaphroditum sub cuius potestate mansit Epictetus, fuisse in neroniana regia, quare huic philosopho fuit necesse colloqui cum Christianis domum Caesaris incolentibus. Villemain quidem, cum ostenderet Religionis christianae dogmata paganorum moralem renovasse, abusus erroresque horum pessumdedit, in medium adducens doctrinas Marci Aurelii atque Epicteti prae illis Bruti atque Catonis. Sed licet hi philosophi, quamvis ethnici, Christianismo accesserint, tamen priscae suae religionis causa in pergraves errores prolapsi fuerunt. Hi enim admittebant homini ferendas esse vitae misérias, sed solam naturam agnoscebant ac providentiam in fato reponebant, sed negabant Christianorum patientiam,

quae Deum provisorem sapientissimum, cuius nutu singula arborum folia decidunt, fatetur. Ipsi bonorum temporalium contemptum vindicabunt, sed non qui pravos evelleret cupiditates: sed etiam bonos affectus. Cousinius enim inquiebat: Questo precetto mira alla morte, mediante l'apatia e l'ataraxia, che ne sono l'immagine, e va a terminare in sublime egoismo. Ponunt quidem levamen dolorum, sed non Christianismi ope, sed dolorum negatione, adeo ut, si haec vita increseat, possit quisque sibi vitam eripere. Vindicant quidem iniuriarum veniam, sed non inimici amore, sed quia naturae necessarii sunt eventus. His erroribus et alii accedebant, absorptio animarum una cum Deo, homo finis sui ipsius, non uti medium ad Deum, suicidium honestum. Itaque Hieronymus, Tertullianus, Irenaeus, Origenes, Nazianzenus vindicarunt omnes errores ex stoicismo esse delapsas. Neque dicendum est Patres usos fuisse Stoicorum philosophia ad Christianorum dogmata vindicanda. Equidem fatemur id evenisse, sed solum ut veterum philosophorum doctrina vindicarent nova dogmata, quippe quae haud rationi repugnabant. Etenim non solum Clemens Alexandrinus et Origenes, sed Lactantius ipse, omnes veteris philosophiae adsertores, vindicarunt, etiamsi, collectis omnium philosophorum systematibus, posset completum philosophiae systema perfici, tamen antiquos philosophos permulta vera ex Hebraeis, tot saeculis ante Christum per orbem palantibus, didicisse: ita docuerunt Justinus, Tertullianus, Tatianus, Cyrillus, Eusebius, Augustinus. Patres quidem docuerunt sapientes antiquos ita vera ex Hebraeis deprompta corrupisse, ut in plurimos errores fuerint delapsi; quare illorum philosophia originem dedit quamplurimis haeresibus, quae Ecclesiam agitarunt. Exoriente enim Christianismo, graeca concidit philosophia; atque antiqui philosophi nihil rerum novarum cupidi docebant nullam rem in religione esse immutandam. Denique Patres philosophis veteribus utebantur, ut vera naturalia vindicarent, haud vero supernaturalia, nempe quae partem religionis spectabant, sed minime substantiam religioni divinae. Igitur est dicendum Patres nulla ratione vindicasse graecam philosophiam esse Christianismi parentem, sed solum illis philosophis fuisse nonnulla naturalia vera Christi religioni convenientia.

Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. Qui pluribus. 9. Novembris 1846.

Epist. encycl. Singularem quidem. 17. Martii 1856.

Alloc. Maxima quidem. 9. Junii 1862.

Christi fides humanae refragatur rationi, divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. Qui pluribus. 9. Novembris 1846.

Alloc. Maxima quidem. 9. Junii 1862.

Hac in quaestione duplex iter est faciendum. Nonnulli quoad fidem plus nimio rationem debilitarunt, at alii contra plus aequo rationis vires extulerunt. Etenim a Christianismi ortu non defuere, qui rationem penitus exclusam a re theologica vindicaverint; quare Clemens Alexandrinus, in lib. 1^o Strom. loquitur de nonnullis, qui philosophiam ope diabolica invectam dixerint. Augustinus, in Epist. contra Cresconium, scripsit: Etiam dialecticam mihi objicere voluisti, quum christiana non congruat veritati, ideoque doctores nostri merito fugiendam potius et cavendam, quam refellendam censuerunt. Hieronymus, Dial. contra Lucifer., ita est locutus: Oro te, ut, philosophorum argumentatione deposita, christiana mecum simplicitate loquaris, si tamen non dialecticos, sed piscatores sequeris. Sed protestantismi tempore hoc opus fuit omni ex parte completum, quippe novatores fatebantur hominem ob Adae noxam in sua essentia attritum libertatem amississe, atque in intellectu obcaecatum nullo rationis usu posse in supernaturalibus uti. Qua de re Lutherus acriter obstitit scholasticae et S. Thomae principi, qui ratione usus fuerit in rebus theologicis, ideoque scholasticam appellavit veritatis ignorantiam, scandalum iuxta Scripturas positum, ac S. Thomam auctorem regnantis Aristotelis piae doctrinae vastatoris. Huic primipilo addantur oportet Calvinus, Hermes, Thomas, Jansenius, Joannes Buchez, Essai d'un traité complet de philosophie au point de vue du catholicisme et du progrès. At alii plus aequo rationem scientiamque extulerunt. Inter antiquos recensendi sunt Gnostici atque Neoplatonici, qui teste S. Irenaeo, dixerunt fidem decere vulgum ἀπαιδευτον, nempe ignorantem; dein Manichaei, qui, teste S. Augustino, excellentiam rationis supra fidem vindicarunt; postea Hebraei, qui Christi doctrinam inficientes, Kabalam invenerunt, in qua, prae ceteris absurdis, dominabatur rationalismus pantheismo fretus. Media quidem aetate non defuerunt rationalismi cultores. Erigenas rationalismo mulctatur a Ramplat: Études sur la philosophie dans le moyen âge, a Roscelin, a Gulielmo de Champaux, ab Americo de Chartres. Accedit Abaelardus, qui ob immoderatum philosophiae usum a Patribus concilii sinonensis fuit damnatus, atque S. Bernardus de eo hoc tulit iudicium: Cum de Trinitate loquitur, sapit Arium, cum de gratia, sapit Pelagium, cum de persona Christi, sapit Nestorium. Aetate autem refor-

mationis labente, Lutherus, licet rationem pessumdedit, tamen in interpretandis Bibliis primam regulam voluit, ideoque rationalismo accessit. Quare Weichid voluit suas institutiones theologicas piis manibus Martini Lutheri libertatis cogitationis vindicis committi. Benedictus Spinoza quidem sui pantheismi gratia rationalismi theologici fundamenta iecit. Ipse enim putavit ordinem supernaturalem, uti absoluti evolutionem, ordini naturali admixtum, ideoque omnem *θεοπνευστίαν* a Bibliis reiecit. Sed saeculo XVIII naturalismus Angliae Galliaeque theismus protestantismum vexarunt; ideoque lutherani pro suo lubitu theologiam penitus a naturali scientia absorberi vindicarunt. Ad hoc Ernestius ac Sember rationalismum unicum, verumque systema voluerunt. Biblia sacra fuerunt comparata cum Iliade atque Aeneide, augustiora mysteria explicata uti *μύθος*, nomen Jehova comparatum cum illo Jovis, Seneca ac Socrates cum Christo, qui a Strauss persona idealis fuit habitus, memoriam Christi evangelici deleturus. Id genus errores Galliam quidem invaserunt, Victoris Cousin gratia, uti licet videre in operibus La Mennais, Quinet, Michelet, Jouffroy, Leroux. Italia quoque in haec flagitia incidit, ope Bianchi-Giovini ac Vincentii Gioberti. Addendi quidem sunt cultores theologiae speculativae Georgius Hermes atque Antonius Guenther, qui rationalismum ac Kantismum prosecuti a Petri cathedra fuerunt proscripti.

His de historia praestitutis, ut verum assequamur, media via est gradiendum; neque enim rationis vires pessum sunt dandae, neque plus aequo celebrandae, sed tantum rationi ac fidei tribuendum, ut ratio magni fiat, fides autem permagni habeatur. Pretium enim operis erit naturam rationis ejusque officia circa fidem, atque fidei naturam ejusque relationem cum hominis ratione disserere. Sane S. Thomas: Ratio, inquit, est impressio divini luminis in nobis; ideoque potest suamet natura nonnulla sui ordinis vera detegere; secus nihili mirabile opus Dei haberetur. Equidem antiquitatis sapientes, vi rationis ingenita, multa invenerunt. Ad rem S. Thomas: Antiqui philosophi paullatim et quasi pedetentim intraverunt in cognitionem veritatis. Id et libri religiosi harum nationum, et scripta prima graeca atque latina, et monumenta antiquissima testantur. S. Augustinus, de doct. christ., docuit: Duo sunt genera doctrinarum, quae in moribus etiam ethnicorum inveniuntur. Unum earum rerum, quas instituerunt homines, alterum earum, quas animadverterunt peractas aut divinitus institutas. Si enim nulla vis rationis esset, ne revelatio quidem consistere posset. Revelatio nequit a nobis cognosci, nisi certa haec vera habeamus: Deum existere; Deum

olim locutum fuisse; Dei eloquia integra ad nos pervenisse; Deo obsequium cultumque a nobis praestandum; falsam non fuisse *ἀγιογράφων* mentem, falsos non fuisse sensus eorum, qui viderunt et scripserunt, aliaque permulta. Posita hac rationis virtute, ostendamus oportet officia ipsius erga fidem. Licet nobis discere haec ab uno Clemente Alexandrino, quia ab eo dictis Patres posteriores, quantum accepimus, nihil adiecerunt. Origenes enim fere eisdem verbis philosophiam patefecit, *ὥσπερ προπαίδειαν*, quae latine anteinstitutio reddi potest, quippe omnia, quae sufficiant revelationi divinae ostendendae, atque a superstitionibus vindicandae, revelantur. Clemens quidem Alexandrinus ait: Quemadmodum liberales, quos vocant *ἐγκυκλίους*, idest circulares disciplinae conferunt ad philosophiam, quae est ipsarum domina, ita etiam ipsa philosophia ad parandam *σοφίαν* conducit. . . . Est enim sapientia domina philosophiae, sicut illa illius, quae praecedit, disciplinae. Imo Clementis ipsius sententia: Philosophia christianae fidei, sive *τῇ βασιλευκοτάτῃ διδασκαλίᾳ*, regali enim doctrinae viam sternit, non solum quod intellectum erudit, verum etiam voluntatem perficit. Quam quidem veritatem philosophia graeca haud intellegit, atque est adhuc imbecilla ad mandata dominae exequenda; sed regali quidem doctrinae viam parat, utcumque castigans, moresque prius formans, et ad veritatem suscipiendam eum confirmans, qui providentiam esse opinatur. Illud quoque Clemens Alexandrinus animadvertit, multa arma nobis suppetere et ad fidem tegendam contra sophistas, atque hostibus magnopere nocendum. Doctrina enim Christi, cum sit Dei virtus et sapientia, est perfecta; accedens autem graeca philosophia maiorem vim non contulit veritati, sed debiliora sophistarum argumenta reddidit, erroresque fudit ac profligavit, ideoque fuit dicta ad vineas apta sepes et vallus. Denique philosophia, eodem Clemente Alexandrino auctore, effecit, ut fides formam scientiae indueret, ideoque fidelis a theologo distingueretur. Nam philosophia ad nexum, quo fidei dogmata continentur, cognoscendum nos adiuvat, idoneosque reddit, ut dogmata quae vires humanae mentis non excedant, rationis argumentis confirmemus, et quae humanum superant intellectum, argumentis analogicis, quoad fieri potest, declaremus. Ex quibus fit, ut fides in quamdam firmam stabilemque cognitionem convertatur, qua vera persuasio *πείσμα τῆς ἀληθείας καταλήψεως* in animo gignatur. Ad rem Augustinus scribit: Quid aliud multi boni fideles nostri fuerunt? Nonne aspicimus quanto auro, et argento et veste refertus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Op-

tatus, Hilarius, ut de vivis taceam? quanto innumerabiles Graeci? Quod ipse prius fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni Aegyptiorum sapientia. S. Thomas primam statuit regulam, nempe quae sunt tradita a Deo, tamquam principia sumi, id est, dogmata a Deo revelata atque ad credendum proposita, uti argumenta firmissima atque praeclara desumi. S. Augustinus ad rem scribebat: Neque enim quaero intelligere ut credam, sed credo ut intelligam; quia nisi credidero, non intelligam. His enim positis, fides omnia vera, quae rationis sunt, nova luce exornat; quia non solum inventa confirmat, sed etiam ad dogmata magis magisque patefacienda rationem attollit. Quare Cyrillus Alexandrinus: fides, aiebat, est prima, quae subjugat hominem; lucere incipit quod ante credebatur. Prius credendum est, ut perveniamus ad intelligentiam fidei. Item Ambrosius: Nisi credideretis, non intelligetis; oportet quidem per fidem intrare. Sed licet fulgentissima sit lux verorum, quae ad rationem spectant, tamen nunquam ad fidei mysteria concipienda possunt attolli; hinc et altera regula a S. Thoma indicta: Ut sic iis, quae in sermonibus sacrae Scripturae sunt tradita, studeamus, atque quodammodo mente capiamus, a laceratione infidelium veris defendendis, ut tamen praesumptio perfecte cognoscendi desit. Quare S. Gregorius aiebat: fides non habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum. Ad rem Aligherius scripsit:

Par. c. 19. Colui, che volse il sesto
 Allo stremo del mondo, e dentro ad esso
 Distinse tanto occulto e manifesto,
 Non potea suo valor sì fare impresso
 In tutto l'universo, che il suo verbo
 Non rimanesse in infinito eccesso . . .
 E quinci appar, ch'ogni minor natura
 È corto ricettacolo a quel bene,
 Che non ha fine, e sè in sè misura,
 Dunque nostra veduta, che conviene
 Essere alcun de' raggi della mente,
 Di che tutte le cose son ripiene,
 Non può di sua natura esser possente
 Tanto, che suo principio non discerne
 Molto di là da quel che egli è, parvente.

